

*auxilio.* Et item in praefata epistola: *Monet ergo, inquit, apostolus non amplius nos invicem temere judicare.* Temere enim *judicat, si quis episcopum absque sedis apostolicae auctoritate condemnat, cum ei, ut parvo superius praelibatum est, hoc specialiter privilegium servatum sit.*

Præterea Isidorus mercator de apostolicae dignitatis privilegio atque Romanae sedis primatu haec inter alia evi-denti sermone describit:<sup>1</sup> *Synodorum vero congregandarum auctoritas apostolicae sedi privata commissa est potestate nec ullam synodum ratam esse legimus, quae ejus non fuerit auctoritate congregata vel fulta.* Haec canonica testatur auctoritas, haec *historia ecclesiastica roborat, haec sancti patres confirmant.*

<sup>1</sup> p. 19.